



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt X. Quæ ad restituendam disciplinam Synodus agitauerit; & quantum in iis libertatis Pontifex concesserit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

Quæ ad restituendam disciplinam Synodus agitauerit; & quantum in iis libertatis Pontifex concesserit.

1 **H**Æ quas diximus leges non absque sententiarum varietate perlatae sunt. Aliqui ex Patribus, sicut narrauimus, auctores erant, vt integrum emendationis negotium prudentiæ Pontificis committeretur, in cuius manu coniungebantur & auctoritas calami ad quascumque leges constituendas, & potentia virgæ ad earum obseruantiam promouendam. Verùm Hispani vnà cum aliis vrbane obistentes obiciebant, id planè non in reuerentiam, sed in offensionem prudentiæ ipsi Pontifici cessurum, perinde ac si Synodum conuocasset ad rem peragendam (sicut ex Diplomate constabat) cui cum Synodus impar esset, solus ipse potuisset debuissetque per suas leges consulere.

2 Id nactus Suavis, obseruansque in quibusdam Legatorum ^a litteris mentionem fieri, nescio cuius Pontificij Diplomatis, quo fatius illi putarunt sibi vtendum non esse, statim diuinationis aleam arripit; affirmatque, Paulum, vt accepit agitatum in Synodo fuisse de ea re Pontifici committenda, spe communis Patrum consensus allectum, festinasse Diploma conscribere, quo ad se disciplinæ reparationem auocabat: sed Legatos, intelligentes in eam sententiam pleurosque non ituros, fatius habuisse, ne animos exulcerarent, non euulgare Diploma. Nihil profectò seu minùs verum seu minùs verisimile dici potest. Cæsare ac Germanis vrgentibus Synodus coacta fuerat; qui mulcendis nouatoribus intenti, emendationi morum auidè inhiabant, doctrinæque sanctiones auersabantur; adeoque harum cum illa coniunctionem ægrè deuorauerant. Iam verò sperandumne erat, disciplinæ leges in Pontificem reiectum iri, ac si Concilium non extaret, illudque tantummodò apertum perstiturum ad odiosam definitionem dogmatum conficiendam?

3 Diplomata igitur, seu litteræ tunc à Pontifice ad Legatos missæ, præter eas quas memorauimus, duæ omnino fuere: alteræ ab initio anni superioris de vniuersa morum emendatione conscriptæ; non quibus ad se simpliciter eam auocaret, prout Suavis affirmat, sed quibus per singula capita ordinabat, adeoque Synodo præibat, ostendens præire se in illa Concilium, non ab eo trahi. His tamen litteris Legati nequaquam vsi sunt, existimantes, illas nec necessitati nec communi voto satis fore per ea quæ complectebantur: (etenim.

^a Ad Farnesum Cardin.
11. Februar.
an. 1547.

1547.

(etenim futuris dumtaxat prospiciebant, præsentibus haud medebantur) simulque arbitrati, modum illum scribendi minus placiturum, quandoquidem Pontifex indicasset, modicam existentis Concilij à se rationem haberi, cum eo inconsulto tantum opusedisset, cuius gratiâ nominatim Concilium indictum fuerat. Quapropter Paulus^b in vtraque parte ipsorum consilio adhæsit, eamque rationem iniit, vt Diploma illud, salutaribus aliis legibus auctum, ipsius Concilij iudicio committeret. Huiusce Diplomatis habetur mentio in quadam responsione Legatis nomine Pontificio reddita, & à Suau^c recitata, quod postea narrabitur: ea verò potuisset Suauem sui lapsus admonere, cum in allata responsione sermo sit de huiusmodi Diplomate, non tamquam de quadam vniuersali illius negotij auocatione ad Pontificem, sed tamquam de lege, quæ sigillatim consuleret incommodis per Episcopos adnotatis, & per Legatos cum Pontifice communicatis. Verum illi ne ita quidem postea amplificatum Diploma vulgandum seu proponendum Patribus censuere.

b Litteræ
Maffei ad
Cerinum,
23. Martij
1546.

c 17. Februar.
rij.

Alteræ Pontificis litteræ, per quas videbatur vtrique capiti satisfieri, 23. Februarij datæ sunt, vbi plena concedebatur Synodo facultas reuocandi seu restringendi Sacerdotiorum coniunctiones, vel perpetuas, vel ad tempus, eaque adhibendi remedia, quæ plerique Patrum opportuna existimassent: simulque addebatur; Tametsi Principis beneficium deceat esse mansurum; non idcirco fuisse mentem Pontificum, qui ea concesserant, vt animarum procuratio negligere, eosdemque voluisse, vt concessionem per nequitiam aut ambitionem impetratæ, dicerentur extortæ potius quàm obtentæ.

Hoc pariter vti Diplomate noluerunt Legati, ne Fæsulano alii-⁴ que nouum argumentum suppeditarent oppugnandi huiusmodi facultates à Pontifice Synodo impertitas, quasi non incrementa, sed detrimenta propriæ ipsorum iurisdictionis. Cautè tamen obseruauerunt in eo genere id quod Pontifex^d ipsis commendauerat, se videlicet optare, vt quamquam in huiusmodi Diplomate valde amplæ facultates Synodo concederentur abolendi coniunctiones Sacerdotiorum, etiam ab eius Nuntiis auctoritate Pontificiâ constitutas, abrogandi que ipsis eam potestatem in posterum; ea tamen pars auctoritatis obstringendi manus suis ministris sibi relinqueretur; se verò id breuè perfecturum pro rerum opportunitate, perinde ac de Cardinalium Ecclesiis egerat: atque ita reipsâ Præsides effecere, vt nulla de Nuntiis in Decreto mentio haberetur.

d Litteræ
Farnesij ad
Legatos,
24. Februar.
1547.

In eadem Epistola ad Legatos Româ responsura est alij dubita-⁵ tioni,

tioni, An vnà cum hæreticis opinionibus ipsarum auctores essent 1547.
damnandi: & placuit non damnare; sed obseruarent Legati man-
data ipsis iam tradita, & à nobis commemorata. Ea siquidem dam-
natio, cui opus erat vt reo dies diceretur, ac de crimine legitimè
quæreretur, moram longiorem afferebat; cum tamen ad sincerita-
tem Fidei tuendam satis esset venenatos latices Christianis indica-
re, è qualicumque tandem vena profluerent.

6 Ad hæc, quoniam Episcopi recuperationi iurisdictionis suæ sum-
moperè inhiabant, cuius ingentia vulnera censebantur immunitates
multis Clericorum Collegiis collatæ, easque de medio vniuersè tol-
lere meditabantur (qua de re ardentius efficaciusque aliàs actum
est, quemadmodum videbimus) existimauit Pontifex, si tot nobi-
les Ecclesiasticorum Cœtus antiquis ipsorum priuilegiis spoliaret,
rem fore plenam querelæ ac turbæ; Episcopos verò, qui in ea cau-
sa iudices simul ac litigatores erant, visum iri vtilitatem potius liti-
gatoris, quàm iudicis æquitatem sequi: quod mox comprobauit
euentus, cum statim post habitam Sessionem ^f adfuere Tridenti
Procuratores ab vniuersæ Germaniæ Capitulis missi, qui enixè po-
stularunt, vt illorum immunitates illæse persisterent. Nihilominus
Pontifex Synodo potestatem fecit, vt de huiusmodi etiam immuni-
tatibus id quod expedire videretur, ipsa decerneret.

e Litteræ
Farnesij ad
Legatos,
5. Februar.
1547.
f In Cœtu
generali,
8. Martij
1547.

7 Equidem dum longam rerum seriem, quæ tunc à Patribus agita-
batur, perlustro, satis mirari non possum, cur incusetur Pontifex,
quasi Patribus libertatem non permiserit. Etenim quamquam ille
Concilio tamquam rector ac moderator præesset, in primis tamen
dogmatum negotium in Patrum iudicio reposuit, eosque solùm
studio & obseruatione Romanorum Theologorum adiuuit; non
in aliud quidpiam peculiari voluntatis propensione patefactâ, nisi vt
variæ Scholasticorum sententiæ inuiolatæ persisterent, ne citra ne-
cessitatem, vllius Scholæ in Ecclesiam studium læderetur; sed po-
tius, vt Catholicorum animi aduersus hæreticos in vnum coalesce-
rent. Solùm ardentem quidem, sed extra vim curauit, vt ab ea quæ-
stione remouerentur, Vtrum Episcoporum mansio suis in sedibus
esset iuris Diuini; quæ pariter agitur inter Catholicos, & quæ, si
Suaui credimus, solidis haud nititur fundamentis, quâ parte detri-
mentosa Pontifici existimari poterat. Secundò, quod ad leges spe-
ctabat, studuit ille quidem interdum, pro eo ac profano cuius
Principi, quin etiam priuato Antistiti licebat, ne quid æquo gra-
uius sanciretur; quâ in re hominum conuentus, & maximè noui,
peccare consueuerunt: sed numquam eò deuentum est, vt plerique

Pars II.

H

Patrum

1547.

Patrum legem conderent, quam Pontifex impediret: libertas verò publicos inter confessus obloquendi in ipsius facta, atque etiam in ipsius potestatem, eiusmodi fuit, quam in neminem reliquorum Principum auli fuissent exercere; nec unquam visa est alio coerceri frano, quam monitis correctionibusque verborum.

Sed stilum ad narrationem reuocemus. Denuò disputatum est ⁸ in Synodo, An, quod antea insinuauimus, in reliquis legibus essent Cardinales nominandi. Id Legati dissuadere, recenti Diplomate adducto, quo Cardinalibus consultum erat in articulo mansionis apud suas sedes, & Ecclesiarum multiplicatione; atque hinc ostendere, à Pontifice per seipsum illis leges imponi. Verum quia humana consilia speciosis vndique rationibus abundant, ex hoc ipso Guillelmus à Prato Episcopus Claramontanus argumentum traxit ad oppositum persuadendum, ⁹ potius par ipsis esse imitari Pontificem, qui non indecorum Cardinalium dignitati putarat, nominatim illos in memorato Diplomate comprehendere: moderatiores tamen Patres abstinendum ab ea nominis expressione censuere; satis esse rati, si generalibus dicendi formulis idem consequerentur; multumque interesse intelligentes, Cardinales disertè coarctari per legem, quæ ab ipsorum Principe sanciretur, aut quæ à cœtu Præsulum ipsis minorum præscriberetur.

Plurima Suauis narrat, tum ab Aula Romana scripta, tum ab Episcopis dicta: ex quibus nihil verum comperio, nisi inter ea quæ scripta sunt, responsionem quamdam, à Pontifice per litteras Ardighelli Cardinalis redditam, ^h per singula capita de variis morum emendationibus, quas multi Patres proposuerant, & Præsides Paulo significarant; atque inter ea, quæ dicta fuerant, querimoniam in Rodulfum Cardinalem, qui Vicentinæ Ecclesiæ præerat, ab hæreticis quadamtenus tunc corruptæ, & ab eadem aberat, Calaguritano proclamante, Ecclesiam illam non modò pastoris præsentia id temporis indigere, sed pastoris eiusmodi qui Apostolum ageret. Ex quo primus Præsidium ⁱ opportunè Patres admonuit, uti corruptelas generatim incusarent, neminem nominatim perstringerent, ne boni publici studium in contumeliam degeneraret. Non tamen omisere Legati id ad Pontificem scribere, ei que simul insinuare, admonendum Rodulfum, ut prauis exempli offensionem remoueret.

Cetera quæ Suauis recenset, quò humaniùs iudicem, nec eum ¹⁰ temerarium inuentorem existimem, mihi persuaferim, ea contenta fuisse arcanis illis libellis, qui rebus recenter gestis referti, per singulas hebdomadas prodeunt ex vrbibus euentuum notabilium cœcundio-

g In vltima
Congrega-
tione ge-
nerali, 2. Mar-
tij, vt in
Actis.

h 17. Febr.
1547.

i In Cœtu
generali,
8. Februarij.

cundioribus : qui libelli ut aliquod obtineant pretium , sine labore inuestigandæ , seu facultate comperendæ veritatis , miris , maledicis , sed semper falsis opplentur. Quare qui velit historiam ex illis conficere , exempli gratiâ de rebus Aula Romanæ , profectò eiusmodi historiam exhiberet iucundiozem quacumque fabularum texturâ imperitorum curiositati , quacumque satyrâ sapidiorem malignorum appetentiæ ; sed simul magis ridiculam quacumque nugarum congerie peritorum iudicio. Id verò tunc potissimè Tridenti accidebat : nam hæreticorum invidia quocumque ingenti pretio mercabatur ea scripta , quæ vel ipsorum improbos animos vellicabant , vel contrariæ factioni infamiam inurebant. Ego verò prætermisâ mendaciorum singularium confutatione , quod perinde infinita res esset , ac falsum ipsum infinitum est , breuius iuxta ac vtilius solam veri narrationem prosequar.

C A P V T X I.

Disciplina leges paratæ in septimam Sessionem.

Post longa mentium linguarumque consilia plerique conuenere de quibusdam legibus , non tam præcellæ seueritatis , ut nimis arduus esset assensus , vnico saltem gradu à præsentemotum statu conficiendus ; memores , eas plantas , quæ intra diem maturescunt , intra diem pariter arefcere. Idcirco iniquè se gerit Suauis , dum contendit ostendere , per ea remedia non satis morbo consultum fuisse , oblitus , ea tamquam emendationis initia , non tamquam metam præscribi , iisdemque de rebus ferè omnibus constitutas postea leges alias efficaciores amplioresque in posterioribus Sessionibus : quod si non aliunde , ex margine certè impressi Concilij debuerat illi in memoriam reuocari.

In quindecim capita partitæ sunt , & in proëmio particula proposita , *Saluâ semper Sedis Apostolicæ auctoritate. Quod* , inquit ille , à quouis homine , quantumvis stolido , intellectum esset quonam spectabat ; nec inde quidquam colligi , nisi obstinatam in retinendis corruptelis pertinaciam , dum de illarum remedio agebatur , earundem causis retentis. Rei exitus hominem mendacem euincit : eas enim omnes leges postmodum Aula Romana seruauit , & hodie adhuc seruat ; nec illibatam habere Pontificiam potestatem perinde erat , ac retinere causas damnatarum corruptelarum , magis quàm homini manus conseruare perinde sit , ac criminum causas retinere. Et sanè huiusmodi exceptio necessaria fuit , omisâ promulgatione Diplomatis , quo Pontifex